

/90r/ scire et intelligere debemus fratres karissimi . quod dies conpunc<sup>i</sup>  
tionis et poenitentię modo cęlebramus . Et ideo oportet  
nos precauere . ne in his diebus nimiori sui uel incongruis ca  
hinnis dissoluamur . timentes illud quod dominus in euangelio dixit .  
Uae uobis qui ridetis nunc . quia flebitis et lugebitis . et illud quod  
alibi scriptum est extrema gaudii . occupat luctus . Et ideo  
precauete fratres karissimi . ne aliquibus ex uobis durum esse uideatur .  
quod magis ad tristitiam uel planctum . quam ad letitiam uel gaudium  
uos prouocare uidemur . Si enim diligenter adtenditis in  
omnibus scripturis hoc dominus hortatur et ammonet . ut sic  
in Hoc seculo simus solliciti . ut in futuro possimus esse securi .  
Sicut ait psalmista . Qui seminant in lacrimis . in gaudio  
metent . Et in euangelio scriptum est . Beati qui lugent nunc .  
quoniam ipsi consolabuntur . Quia arcta et angusta uia est .  
quę ducit ad uitam . Lata et spatiosa . quę trahit ad  
mortem . Melius ergo nobis est per angustas uias ad ęternam  
beatitudinem peruenire . Quam post breuem letitiam ad im  
ferni profunda descendere . Vnde totis uiribus elaborare  
debemus . ut et poenam purpurati diuitis possimus euadere .<sup>ii</sup>  
/90v/ et ad beatitudinem<sup>iii</sup> lazari peruenire . Quid enim superbia profuit illi diuiti?  
quod hic paruo tempore luxoriosus pascebatur diliciis suis . et nunc  
sine termino inferni flammis patitur . Melius ergo est fratres . karissimi<sup>iv</sup>  
ut uos paruo tempore ad salubrem tristitiam hic prouocemus . ut  
postea<sup>v</sup> uobiscum ad aeternam letitiam pruenire mereamur . Quam si  
uobis nunc ad tempus falsam dulcedinem uelimus ingerere . Postea  
uobiscum perpetuam amaritudinem sustineamus . Licet ergo uobis oporteat  
omni tempore fratres karissimi misericordiam dei corpore contrito et corde  
conpuncto require . Et ab illo indulgentiam peccatorum fideliter  
postulare . nunc tamen propter siccitatem grauissimam ex pecca

tis nostris debitam . cum ingenti gemitu assiduis orationibus  
et largioribus elimosinis debemus dei clementiam implorare . ut  
ipse nobis et benedictionem aquarum cęlestium tribuat . et pacem  
reddere dignetur . et peccatorum indulgentiam dare . et prospera  
dignetur pro sua pietate concedere . In His tamen precipue diebus  
otiosis fabulis finem conemur imponere . et quantum uires sup  
petunt . Orare studeamus et psallere . et si pacem temporum desi-  
deramus accipere . non dissimulemus pacem cum proximis nostris custo-  
dire . Si enim in ueritate uis ut uincatur<sup>vi</sup> diabolus inimicus  
tuus . cito tibi reconcilietur proximus tuus . Contra nullum  
hominem deseuiat ira tua . et cito a te indignatio diuina ces-  
sabit . secundum promissionem domini saluatoris . Si inquit dimiseri-  
tis hominibus peccata eorum dimittet et uobis pater uester cęlestis  
peccata uestra . Nullus ergo sibi aliquas occupationes ex stu-  
dio inquirat . per quas se de conuentu ęcclesię subducat. Sine  
dubio enim peccatorum suorum uulnera diligit . qui in istis tribus  
diebus ieiunando . orando . et psallendo . medicamenta sibi spirita-  
lia non requirit . Abundant fratres et nimium abundant ne-  
/91r/ glegentię . quas per totius anni spatium congregauimus . Et ideo que  
adnitorem uel ad purgationem animę nostrę pertinent . in istis tribus diebus  
studeamus agere . Nolite ergo uos de conuentu ęcclesię sub-  
trahere . quia non tam longo spatio fatigamur . Vt hoc  
sustinere non ualeamus . Sicut enim qui in istis diebus  
de conuentu aecclesię non subducunt se . magnum remedium  
animabus suis noscuntur prouidere . Ita e contrario qui pro aliqua  
parua et minus necessaria occupatione adesse noluerint ad  
aecclesiam . Inde sibi faciunt crudelia ulnera . Unde habere po-  
tuerant medicamenta salubria . Et inde se grauant . unde sub-  
leuare se potuerant . Sed tamen credo fratres dedim misericordia . quod  
ita Hec uobis inspirare dignabimur . ut non per neglegentiam peccatum  
adquirere . sed magis per compunctionem ieiunando . orando . psal

lendo . et elimosinas faciendo . ad remedium possitis indulgen  
tie . et ad coronam glorię peruenire . Prestante domino nostro iesu christo .  
cui est honor et impererium<sup>vii</sup> et potestas . una cum patre et spiritu sancto .  
in secula seculorum amen .

<sup>i</sup> *A fourteenth or fifteenth century hand has written in the outer margin next to the blank space for rubrication sermo Augustinus in rogationibus.*

<sup>ii</sup> *xii is written by a later scribe underneath euadere.*

<sup>iii</sup> *Small red mark above a; there are several small dots of red ink on this page, as if the rubricator dripped ink across it.*

<sup>iv</sup> *karissimi] expunged*

<sup>v</sup> *5-pointed star in pencil in outer margin, later scribe.*

<sup>vi</sup> *uincatur] corr. from uincantur*

<sup>vii</sup> *The scribe has spelled out imperium, but crossed the p.*